

vel *dependentia externa fidei professionis, & poenitentia à viribus natura*, vel *collatio poenitentia Tyriorum cum poenitentia Achabi, & Ninivitarum*; prior enim ratio quamvis in se sit sana, *nondum* tamen eam videmus *probatam* circa nostrum textum; vid. resp. ad 2. Camer. arg. th. 6. *posterior* collateralia facit, quæ maximè sunt *disfentanea*, poenitentiam Achabi fuisse hypocriticam, non ex odio peccatorum in DEUM commissorum, sed metu & formidine poenæ tantum obortam concedamus, (de Achabi poenitentia veteres in utramque partem disputarunt. *Gregorius* hom. 19. super Ezech. poenitentia simulachrum; *Tertull.* veram fuisse volebat. *Remonstrantes* in Act. Synod. circa art. 4. p. 125. putant, nullam solidam rationem dari posse, quâ probetur, resipiscentiam Achabi pro isto tempore externam & hypocriticam, & non ex animo & corde profectam esse, DEUM enim *eam magno beneficio & premio remunerari voluisse*, cum tamen certum sit, majore potius & graviore poenâ eum puniturum fuisse, si simulate & non sincerè se humiliasset coram DEO,) sed negamus talem fuisse, quam egerunt *Ninivita*, vel *eandem* dependisse à *viribus natura*, non gratia; & quomodo fingi potest, dependisse à viribus naturæ illam poenitentiam, quam DEUS per *Verbum, Legem, & Evangelium* operatus est, utrumque enim verbum divinâ vi corda hominum convertendi præditum fuisse Ninivitis à Jonâ propositum, partim explicitè, partim per *legitimam consequentiam* asseritur in textu prophetico; Et si in hoc tertio quoque suppar judicatur poenitentia Ninivitarum, ea quam egissent Tyrii, iterum patet, hanc non fuisse possibilem homini *ψυχικῶν* & animali. Interim non dubitamus, quin *Calviniani* poenitentiam Ninivitarum pro verâ & sincerâ essent habituri, si non obstaret hypothesis de *fide inamissibili*; & huic nostræ præsumptioni favet *P. Molinaus* in Anat. Arminianismi c. 49. qui dicit; *non omnium Ninivitarum, sed maxima partis Ninive poenitentiam fuisse externam, ex metu poenæ ortam, quod indicat ruina urbis mox consecuta*, Nah. 1. at ex ruinâ urbis malè concluditur, poenitentiam Ninivitarum fuisse externam, longo enim tempore subsecuta est illa ruina, ut salvari, & in verâ fide interim decedere potuerint plurimi, quamvis negari non possit, partem potio-

rem;